

5

P A R T I T I O N U M  
*Theologicarum.*

Disputatio V.  
DE  
A N G E L I S.

In illustri Academiâ VVittebergensi  
ad discutiendum proposita,

P R A E S I D E  
M. I A C O B O M A R T I N I  
Professore publico:

R E S P O N D E N T E  
M. I O H A N N E H O D I K I O  
Thuroczeni Pannonio.

M A G D A Æ B U R G I,  
Excudebat Ioachimus Boëlius.  
Sumtibus Clementis Bergeri Bibliopolæ  
Witteberg: Anno 1611.



*Illustri ac Generoso Comiti & Domino,*

**DN. STANISLAO THVRZO,**  
de Bethlehemfaluva, Comiti perpetuo ter-  
ræ Scepusien: Libero Baroni arcium Sem-  
ptæ, Galgocz, Baijmocz, Temetvvin &  
Richno &c. Sacræ Regiæ  
Majestatis.

**DN. MATTHIAE II.**

Regis Hungariæ &c. Cubicular. &  
Consiliar. &c.

*Domino Mæcenati meo ac Fautori ter-maximo*

Hanc ἐξέτασιν θεολογικὴν, gratitudinis &  
perpetuæ observantiæ tesse-  
ram submissè

D. D. D.

*Respondens.*

APOΣΤΙΑΣΜΑ huius disputationis.

Gene- re: u- bi vel	Res ipsa: ubi	1. Ponitur Definitio Angelorum: Genus, quod est Spiritus.	Vox & nominis impositio: quæ vel		{ Generalis: Specialis.
			Causa efficiente: si. Efficiente D E O. ubi de Creationis.	2. Tempore.	
Angeli cō- sideran- tur vel in	Boni; ubi par- tim.	Differentia quæ de- sumitur à	Proprijs attribu- tis: Qua-	1. Bonitas & veritas: 2. Intelligentia ex- cellentijsima: 3. Voluntas libera: 4. Potestia maxima.	
Specie: qua- tenus sunt vel	Nomen:		Fines, qui	1. Gloria D E I. 2. Ministerium ho- minum.	
Hominem (E)	Res ipsa defini- tur: ubi	1. Ponitur Definitio ipsa: Genus, quod cum malis habent commune.		3. Propria felicitas.	
	2. Resolvi- tur Defini- tio in	Differen- tiā, quæ desumi- tur à	Ratione formalis.		
		Ab of- ficio, quod est.	1. Laudare D E V M. 2. Inser- vire ho- minibus, in statu	Ecclesia- stico. Politico. O Econo- mico.	
	Mali, qui consi- deran- tur vel quoad	Nomina, quæ habent in Testamento	Veteri, tredecim. Novo, viginti & unum.		
	qui consi- deran- tur vel quoad	Definitione, quæ	1. Datur tota: 2. Resol- vitur.	Genus, quod cum bonis commune habent. Differentiā Proprio: am: quæ desumitur vel à	
	Naturam, quæ expli- catur par- tim.	Operibus & studij: quæ diriguntur partim ad- versus.	DEVM:	Consequen- te.	
			Homines: que vel	Generalia: specialia, spectantia vel	
				Ecclesiam. Politiam. O Economi- am.	



DISPUTATIO V.  
DE ANGELIS.

Continuatio.



Ctionem DEI in Generalem & Particularēm diuisimus suprà: Per Generalem creationem conservationemq; & administrationem omnium rerum indigantes; de quâ hactenus. Sequitur nunc Particularis, cuius objectum est ANGELVS & HOMO. Nam tametsi in Sacris literis multa etiam specialia de alijs rebus Physicis occurrant; tamen, quum ea potius ad Theologica illustranda adhibeantur, divinæ cœlestisq; hujus doctrinæ propria non censemur. Circa Angelum verò & Hominē, & quidem περτος circa hunc, quia singulari modo occupata est divina actio; taliaq; de illis S. Scriptura revelat & monstrat, quæ aliunde addisci non possunt; utiq; huc nos in speciali actionum divinarum contemplatione & disquisitione meritò flectimus, eaq;, quæ de creatis hisce naturis nobis sunt revelata, scrutamur.

THESES I.

**A**ngelorum igitur naturam hac disputatione in-dagantes, considerabimus illos primùm in genere: deinde in specie, quatenus sunt vel Boni, vel Mali.

2. In

2. In Generali Angelorum *θεωρίᾳ*, partim vocem, partim rem ipsam scrutabimur.
3. Vocem quod spectat, usurpat illa in sacris, duobus potissimum modis, Generaliter & Specialiter.
4. Generaliter sumta, nuncium seu legatum significat. Sic Iohannes Baptista Angelus vocatur *Malaeb. 3.* genere quid ut citatur *Matth. 11. v. 20. Marc. 1. v. 2.* Quo respectu et iam ipse Filius D E I Angelus dicitur, nempe quia ad homines missus est, *Gen. c. 31, v. 11.* Et in genere omnes Doctores Ecclesiæ Angeli vocantur, *Ez. 33. v. 7. Mal. 2. v. 7: & 3. v. 1. Gal. 4. v. 14. Apocat. 2. v. 1.* Specialiter accepta vox hæc, significat Spiritum creatum; *Psal. 104. v. 4.* Atq; in posteriore hac significatione nos h̄ic significatio-  
cabulum Angelii sumimus.
5. Rem ipsam quod spectat, definimus Angelum *Angelus* hunc in modum: Angelus est Spiritus à D E O omnium *quid.* Creatore, in bonitate seu veritate, excellenti intelligentiâ, & virtute conditus, ut Creatorem celebraret, homini inserviret, & æternâ felicitate frueretur.
6. Circa definitum notetur quæstio: *An sint Angelii,* quam multis argumentis probant Apostoli. I. Quia *Angeli* docent Angelos à D E O conditos esse, *Heb. 1. II.* Quia commemorant Angelos quosdā lapsos esse, quosdam verò in suâ iustitiâ & innocentia persistisse: *2. Petr. 2. III.* Quia recitant historias Veteris Testamenti, quæ, tūm Angelos conspectos esse, tūm D E U M per eos sua opera perfecisse, testatum faciunt. IV. Quia ipsimet Apostoli affirmant, à se Angelos non rarò visos & auditos esse. *Actor. 5. v. 19. ibid. 10. v. 3. ibid. 12. v. 7. ibid. 16. v. 9. ibid. 27. v. 23. Apoc. 19. v. 9. & 21. v. 9.*
7. Genus Definitionis est *Spiritus.* Esse autē Angelos sunt spiritus, constat ex *Psal. 104. v. 4.* Qui facis Angelos tu- ritus. os *Spiritus.* Item *Heb. 1. v. 7.* Sunt igitur ἄστραι, *Luc. 24.*

v.39. Ephes. 6. v. 12. ἀστοι Tob. 12. v. 19: ἄγαμοι ή ὀτεννοί,  
Matth. 22. v. 30.

Non sunt  
ubiq.

8. Ut igitur simplices hi sunt Spiritus, ita partem non habent extra partem, & ubi cunq; sunt, ibi totalitate essentiæ suæ integrâ, indivisibiles sunt, adeò ut Legio etiam in uno homine fuerint, *Luc. 8. v.30.*

9. Nec verò ubiq; sunt, sed in suo definito Vbi, vel in loco, ut aiunt, definitivè, non circumscriptivè sive localiter secundùm mensuram.

10. Hæc, hisq; similia de Spiritibus colligi possunt è negatione proprietatum corporearum, qui aliàs, non ita sub sensu veniunt, vel etiam intellectu, ut essentiâ suâ perfectè cognoscantur.

De loco, in  
locum ve-  
niunt.

11. Quia autem ubiq; non sunt, de loco in locum veniunt, & ita motu inexplicabili quasi moventur ac movent. Sic Angelus Gabriel venit ad Mariam, *Luc. 1. v.28.* Angelus Raphaël peregrinatur cum Tobiâ, &c.

Angelorum  
caussa ef-  
ficiens.

12. Differentia desumitur partim à caussâ efficiente, partim à propriis attributis, partim à sine.

13. Caussa efficiens est ipse Deus. Sunt enim Spiritus creati, non creatores, ut aliqui somniarunt, rerum afficiens.

14. Apostolus enim ad Colos. 1. v. 16. id expressè testatur his verbis: *Per eum omnia, quæ in cœlis sunt & in terrâ, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominia, sive imperia, sive potestates, omnia, inquam, per eum, & ejus respectu condita sunt.* Similiter Pial. 104. dicitur: *Qui facis Angelos tuos Spiritus.* Quod dictum esse de Angelorum creatione, testatur Epistola ad Heb. c. 1. v. 7. Sic Psal. 148. quando omnes creaturæ, ad laudandum Deum invitantur, Angelis quoq; dicitur: *Laudate eum, omnes Angeli ejus:* Et mox subditur: *Quoniam ipse dixit, & facta sunt, mandavit, & creatæ sunt.*

15. Gen

15. Gen. 4. v. 1. dicuntur perfecti cœli & terra , & o-  
mnis exercitus eorum: In exercitu verò cœli sunt et-  
iam Angeli, ut est Luc. 2. v. 13. Vnde etiam Gen. 32. v. 2.  
venustâ admodum metaphorâ , *Castra Dei* dicuntur.

16. Vnde porrò infertur , Angelos quoq; creatos <sup>Angeli</sup> esse , non ante Mundi principium , quod Nazianze quando  
nus , Chrysostomus , Severianus , Basilius , Damasce- <sup>sint crea-</sup>  
nus , mō & ipse Hieronymus in Epistolâ ad Titum , sta- <sup>ti.</sup>  
tuerunt , sed in sex illis diebus , quibus cœlum & ter-  
ra generatione suâ facta sunt , ut est Gen. 2. v. 4.

17. Quod ipsum etiam constat tūm ex eo , quòd  
D e o non sint *oua idic*, tūm quòd ob hominum mini-  
sterium sunt conditi , etiam , quòd ante iacta mundi  
fundamenta D e u m laudasse non legantur. *Theodore-*  
*tus quest. 3. in Gen.* Eodem quoq; modo colligere vide-  
tur *August. Tom. 3. de Genesi, ad literam lib. 5. c. 19:* Nulla  
creatura , inquiens , est ante secula : sed à seculis , cum qui-  
bus cœpit : solus filius ante secula .

18. Cum verò Moyses certum diem Creationis , quo  
facti sint Angeli , non determinet , variè de tempore ,  
quo creati sint , quæ situm fuit .

19. Quidam ( in quorum numero Augustinus est ) *An primo*  
putant , primo statim die eos esse conditos , & accipi <sup>die</sup> *sint*  
sub nomine lucis : quum *Psal. 104.* dicantur ministri *creati*.  
flammandes , *sintq;* Spiritus lucidi , & custodes illorum ,  
qui in luce , id est , in veritate ambulant : Sumitur quo-  
que hujus assertionis verisimilis probatio ex *38. cap.*  
*Zobi.* Ibi enim D e u s , se ab astris matutinis & filijs  
D e i laudatum fuisse , testatur , cùm fundamenta ter-  
ræ poneret , quæ primo utique die constituta sunt .  
Potest etiam ad sententiam hanc confirmandam ac-  
commodari *Psal. 148.* Ibi enim , cùm opera crea-  
tionis describantur , omniaq; ad laudandum D e u m  
ordine

ordine invitentur, prius ait: *Laudate eum omnes Angeli ejus.* Post Angelos verò Solem invitat, & omnia luminaria, quæ tertio die facta sunt, dicens: *Laudate eum Sol & Luna, laudate cum omnes Stellæ luminosæ.*

20. Accedit tandem & hoc, quod constet, propositione hac (*In principio creavit Deus cœlum & terram*,) omnia contineri, tam invisibilia, quam visibilia. Non igitur ante illud principium creati sunt Angeli: quia sunt creati. Ergo aut in illo principio, aut post illud: hoc est, diebus subsequentibus. At hoc non videtur verisimile; Quandoquidem in singulis diebus describit Moyses visibilium dum taxat operum creationem: Ergo in illo principio, hoc est, primo die videntur creati Angeli.

*An secundo die sunt creati.* 21. Alii Angelos, ut cives cœlestes unâ cum cœlo, utpote domicilio suo (*Epist. Jud. v. 6.*) die secundo creatos esse, contendunt, vocabulum cœli Gen. 1.v.2, συνεδοχὴν accipientes. Quam suam sententiam probant ex serie creaturarum, quæ *Psal. 104.* enarratur. Quandoquidem is cuiusq; diei opera certo ordine recensere videtur. Post generale enim exordium (*v. 1.*) primò omnium agit de luce, *v. 2.* Deinde de Cœlo & Angelis, *v. 3.* & *4.* Tertiò de terrâ, aquâ, fontibus & montibus, *v. 5.* & seqq. Quartò de Sole & Lunâ, *v. 19.* Quintò de animalibus, *v. 20, 21.* & *22.* Tandem quoq; mentionem facit hominis, *v. 23.* quem sexto die creatum esse, constat ex *Gen. c. 1. v. 27.* Hi quoq; hanc suæ sententiæ adferunt caussam, quod sub vesperam secundi diei non legantur ea bona esse, quæ facta erant: arbitrantur enim die eodem Angelos fuisse & creatos, & lapsos quosdam.

*An tertio die sint creati.* 22. Alii ad diem tertium Angelorum creationem reponunt, moti illo Apostoli *Coloss. 1. v. 16.* Vbi per

CHRI-

CHRISTUM condita esse affirmantur tām ea, quae sunt  
in cōelo, quām quae in terrā, visibilia & invisibilia,  
throni, dominationes, principatūs, & potestates. Cūm  
enim Angeli sunt in cōelo, eosdem habitaculo suo con-  
structo & exornato priores non fuisse censem.

23. Sed utut sit de die, liquidō constat, non citius  
fuisse creatos Angelos, quām mundi visibilis materia:  
eoq; non esse vetustiores hoc mundo, nedum æternos.

24. Constat insuper, creatos illos esse ante homi-  
nem conditum. *Jobi* enim 38. v. 7. sic Iehova hominem  
alloquitur: *Ubinam eras, cūm laudarent me pariter stel-  
lae luminis, & jubilarent omnes filij Dei?* De Creatione  
autem loquens, filios creationis intelligit, non gene-  
rationis, unicum illum & solum λόγον. Deinde, quia  
Angeli creati sunt in ministerium hominum, *Hebr.* 1.  
v. 4, inde quoq; probabiliter colligitur, eos ante ho-  
minem conditos fuisse.

25. Cæterū attributa propria, quae in definitione *Attributa*  
exprimuntur, sunt, nempe quod sint creati in bonita- *Angelorum*  
te & veritate, item, excellenti intelligentiā, voluntate *propria*.  
liberā & deniq; virtute insigni prædicti.

26. Primum itaq; attributum, quod à Creatore u- *i* *Attribu-*  
*nā* cum essentiā simplicissimā in primā creatione acce- *tum: Boni-*  
perunt, est *bonitas & veritas*. *Quomodo enim Deus tas & ve-*  
*summè bonus creare potuit aliquid, quod reverā ex ritas.*  
*ipsā creatione malum sit?* Viderat Deus cuncta, quae  
fecerat, & erant valdē bona. *Gen. 1. v. 31.* Deinde, *Job.*  
8. v. 44. dicitur: Diabolus homicida erat ab initio, &  
*in veritate non stetit.* Ergò Diabolus quoq; in verita-  
te fuit creatus, sed in eā non permansit. Ubiq; etiam  
scriptura docet, peccatum non esse ex Patre, id est, ex  
Deo, sed ex mundo, hoc est, ex Diabolo mundi Prin-

B cipes

cipe: & ex hominibus impiis, qui sæpius nomine mundi significantur. Fieri ergo nequit, ut Deus Angelus crearit iniquos. Videatur August. Tom. 3. de Genes. ad liter. lib. 11. c. 23.

2. Attribu-  
tum: excel-  
lens intel-  
ligentia.

27. Alterum attributum est, quod sint excellenti intelligentia prædicti. Id quod multis argumentis doceri posset. 2. Sam. 14. v. 20: *Sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia super terram.* Matth. 24. v. 36. dicit Christus: *De die autem & horâ illâ nemo scit, neq; Angeli cœlorum, nisi solus Pater.* Quibus verbis Christus quidem cognitionem finis hujus mundi Angelis derogat: interim tamen quantam cognitionem & intelligentiam iisdem concedat, facile manifestum est omnibus. Sic, Boni observant cultum Creatoris, ad obsequia parati sunt, mandata Dei intelligendo & judicando exequuntur, atq; omnia sic munia intellectus obeunt: *Quod utiq; non facerent, si brutæ essentiæ forent.* Sic Angelus in Apocal. c. 19. v. 10. de cultu adorationis differit contra Iohannem procedentem coram ipso. Diabolus quoq; disputans contra Ewam, Gen. 3. v. 4. & contra Christum Matth. 4. v. 3. ostendit, se brutum Spiritum non esse, sed sagacitate intellectus maximè præditum. *Εστι ἀρχωτὴ κόσμος, Joh. 14. v. 30.* κοσμοκράτωρ sublimè exercens Spiritus malitias Ephes. 6. v. 12. Quod sanè bruta natura non præstabit.

3. Attribu-  
tum, Libe-  
ra volun-  
tas.

28. Ex secundo hoc attributo sequitur tertium, nempe quod sint liberâ voluntate prædicti. Ubi enim intellectus, ibi voluntas: *Quodq; porrò probatur ex Iudicium historiâ, cap. 13. v. 16.* ubi invitatus Angelus ad panem, cibumq; sumendum, sumere cibum non vult, sed holocaustum, ait, *Dominō offerri posse.* Sic Sathanas

nas lobum vult tentare, si Deus illud permittat, *Job. 7.*  
Vult similiter decipere Achabum, & mendax Spiritus  
esse in ore Prophetarum *3. Reg. 22.* Libertatem quoque  
voluntatis Angelicæ vel maximè arguit, quod qui-  
dam ex eis à Deo sese averterunt, alii verò suam serva-  
runt originem, *2. Pet. 1.* Et in Epistolâ *Jude. v. 6.*

29. Quartum attributum est *Potentia & virtus*, quæ 4. Attribu-  
colligitur partim ex applicationibus & titulis, partim <sup>tum, Po.</sup>  
<sup>Potentia &</sup>  
ex operibus & effectis.

30. Appellationibus quidem: Vocantur enim Prin-<sup>virtus.</sup>  
cipatus, potestates, virtutes, Dominationes ac throni,  
*Rom. 8. v. 38. Ephes. 1. v. 20. Colos. 1. v. 16.* Angeli virtutis  
**CHRISTI**, *2. Thess. c. 1. v. 7.* Angeli robore ac potestate  
maiores, *2. Pet. 2. v. 11.* Potentes virtute, Starcke Hel-  
den/ *Psal. 103. v. 20.*

31. Effecta huius Potentiæ leges *Exod. 12. v. 23. & 27.*  
*2. Sam. 24. v. 15. 2. Reg. 19. v. 35, 36. Tob. 1. v. 21. Eccl. 48.*  
*v. 24. Ef. 37. v. 36. 1. Maccab. 7. v. 41. & 2. Maccab. 8. v. 19.*

32. Cæterum finis, propter quem Angelii creati sunt, *Finis An-*  
*triplex exprimitur in definitione. I. Est gloria Dei. Ut gelorum*  
*enim omnia Deus propter seipsum creavit, ita etiam triplex.*  
*Angelos. Et finis hic adhuc viget in bonis Angelis,* <sup>I. Gloria</sup>  
*Dan. 1. v. Ef. 6, Hymno Deum celebrant Angelii, quem <sup>Dei.</sup>*  
*τειτάγμα appellant Græci. Sic in Natali Christi hymnū*  
*gloriosum canunt, *Luc. 2. v. 14.* Et Epistola ad Heb. c. 1. v. 6.*  
*citat ex Ps. 96. adorent eum omnes Angelii. II. Est, ut <sup>2. Inservire</sup>*  
*inserviant hominibus. Hinc *Heb. 1. v. 14.* Angelii dicun- <sup>hominibus.</sup>*  
*tur λετεγμα πνευματω, quod mittantur ad ministeri-  
um propter eos, qui hæredes erunt salutis. III. Ut ipsi <sup>3. A</sup>Fterna  
felicitate æternâ fruerentur. Ad id enim sunt conditi, *illorum fe-*  
*licitas, ut essent Angelii lucis, hoc est, ut perpetuò cum Deo,**

apud quem nulla lucis mutatio est, versarentur, errorumq; tenebris nō implicarentur, sed felicitate divinā fruerentur. 2. Cor. 11. v. 14. Ibi enim *lucis* nomine gloria cœlestis indigitatur, ad quam conditi sunt Angeli, cuiusq; adhuc participes sunt boni. Verūm de hisce finibus paulò pōst pluribus agemus.

πόρισμα.  
Angelos es-  
se singula-  
ria v. pīgē  
plūa.

33. πόρισμα, quod ex hactenus explicatis colligitur, est, Angelos esse singularia ὑφίσαμενα: non, ut Saducæi putārunt, motūs aliquos à D eo hominib[us] inspiratiōne quādam immisso. Id quod probatur: I. Quia multa millia Angelorum numerantur Dan. 7. v. 10. qui ministrant Iehovæ, eiq[ue], adstant: quod certè motibus à D eo hominib[us] inspiratis tribui nequit, qui D eo non adstant, sed ab eo proficerentur potius, & ad alios venirent. II. Quia appellantur propriis & individualibus nominibus, ut Michael, Gabriel, Raphael, &c. III. Quia mittuntur extrinsecus ad homines: Motūs contra illi intrinsecus surgunt, & actione quadam in corpore conspicuā motum subsequente foras sese produnt. IV. Quia ab hominib[us] recedunt. Motūs verò illi, aut permanent in hominib[us] perpetui, & continantur, aut tandem deficiunt & consident. V. Quia formas conspicuas assumunt, quibus apparent, adeò ut suo etiam modo comedant, licet Physicè id non fiat. VI. Quia sermone utuntur sonoro, ad eos loquentes, ad quos mittuntur. VII. Quia adstant hominibus à dextris vel sinistris: ut Luc. 1. Angelus stans ad dextram altaris, ad Zachariam inquit: *Ego sum Gabriel, qui adsto in conspectū Dei, missusq[ue] sum, ut te alloquerer.* Vbi singula verba ad denotandam substantiam individuam faciunt.

34. Cæ-

34. Cæterūm omnes quidem Angeli sunt creati boni, sed nonnulli originem suam non servârunt: reliqui confirmati sunt in bono, 2. Petr. 1. v. Epist. Judæ. v. 6.  
Vnde Angelorum divisio in Bonos & Malos.

Angeli vel  
boni, vel

malii.

Angelorum  
bonorum.

Nomina.

35. In bonorum Angelorum θεωρίᾳ iterum considerandum est primū nomen: Deinde definitio.

36. Circa nomen tenendum est, quod Angeli boni interdum absolute voce Angeli notentur, Actor. 7. v. 53. Accepistis legem per dispositionem Angelorum, Actor. 23. v. 9. 1. Pet. 1. v. 12. 2. Pet. 2. v. 11. Gal. 3. v. 19. Heb. 1. v. 5. & 2. v. 2. & 13. v. 2. Interdum epitheta differentiæ causâ adduntur, ut sunt, Angelus Domini, Actor. 5. v. 19. 8. v. 26. 12. v. 17. Angelus D E I, Actor. 10. v. 3. 12. v. 23. 27. v. 23. Angelus sanctus, Actor. 10. v. 22. Angeli electi, 1. Cor. 5. v. Angelus lucis, 2. Cor. 11. v. 14. Angeli potentiae D E I, 2. Thess. 1. v. 7. Dicuntur filii D E I, Job. 1. v. 6. item, Viri, Gen. 18. v. 2. & 19. v. 5. Luc. 24. v. 4. Actor. 1. v. 10.

37. Definitio Angelorum bonorum talis dari potest: Angeli boni sunt Spiritus à D E O creati, qui in veritate, in quâ creati erant, obedienter permanentes, iam confirmati, D E U M laudant, hominibusq; piis inserviunt, atq; ita æternâ felicitate beati fruuntur.

38. Genus est, quod sint *Angeli creati*: de quo satis Genus. in præcedentibus.

39. Differentia desumitur partim à ratione forma- Differen- li, partim à fine sive effecto vel officio. tia.

40. Ratio formalis est, quòd in veritate, in quâ e- 1. à ratione- rant creati, permanerint, & iam sint confirmati. Hinc formali.

vocantur Angeli electi. i. Timoth. 5. v. 21. Videatur August. lib. 11. de civit. Dei. cap. 11, 12, & 13. item Tom. 2. lib. de fide ad Petrum Diaconum cap. 3. f. 220.

2. ab officio 41. Munia Angelorum in hisce duobus præcipue dupli. capitibus, nempe in laudibus D e i & ministerio generis humani sive piorum consistunt. Videatur Theodore-tus Serm. 3. de curat. Græc. affect. fol. 52.

Prius di- 42. Prius officium in tribus est positum. I. Quod consistunt in conspectu D o m i n i , eumq; sine intermis-sione collaudant Psal. 103. v. 20. item Psal. 148. v. 2. Es. 6. v. 3. Luc. 2. v. 13. Apoc. 5. v. 12. II. Quod ministrant D e o in eiusdem voluntate patefaciendâ. Id quod patet ea historiâ Agar, Abrahami, Iacobi, Nativitatis Domini-nicæ, & aliis pluribus. Vide etiam Actor. 7. v. 53. Gal. 3. v. 19. Heb. 2. v. 2. III. Quod tandem C h r i s t u m , cùm ad judicium venerit, comitabuntur. Matth. 25. v. 31. Quum venerit filius hominis in maiestate suâ, & omnes sancti Angeli cum eo, &c. Ibidem cap. 13. v. 30. & 39. comparantur Angeli messoribns, qui collecturi sinr Zizania, ea que combusturi igne. i. Theß. 4. v. 16. Ipse D o m i n u s cum jubilatione, in voce Archangeli, & in tubâ D e i descendet de cœlo. Epist. Jud. v. 14.

Posteriorius 43. De posteriore in genere agit scriptura Heb. 1. v. dirigitur 14. ubi dicitur, quod omnes sint λατεργικὰ τελευτα, ad homi-nos. vel administratorii Spiritus, in ministerium emissi, proptereos, qui hæreditatem capient salutis.

44. In specie quoq; in singulis Hierarchiis singu-lis hominibus adiunt & ministrant, nempe, sive illi sint constituti in statu Ecclesiastico, sive Politico, sive Oeconomico. Vbiq; enim & apud omnes secundum volun-

voluntatem Dei sua exercent opera ad utilitatem hominum & salutem proficiantia.

45. In statu Ecclesiastico. I. Ministerio verbi maxime delectantur: quod indicat Petrus 1. Epist. 1. v. 12. Ecclesia ubi dicit, Angelos desiderare prospicere in res Novi Testamenti, seu doctrinam Evangelii. II. Ministerium verbi promovent, docendo de rebus scitum necessariis. Sic Acto. 1. v. 11. docent Apostolos de reditu Christi. In Apocalypsi Angelus Iohanni revelat futurum Ecclesiae statum. Et Apoc. 19. § 22, Angelus Iohannem monet de adorando Deo, & se adorari omnino prohibet: Vbi etiam se conservum Apostolorum & Prophetarum appellat. III. Ministrorum vocationem fideliter adiuvant ac promovent, Acto. 8. v. 26. item 10. v. 3. IV. Legitimè vocatos in terroribus solantur, Dan. 10. v. 19. Acto. 27. v. 23. Protegunt, Zach. 3. v. 7. Gen. 19. v. 10. 1. Reg. 19. v. 2. § 7. 2. Reg. 6. v. 17. Dan. 6. v. 22. & ex periculis liberant. Sic Acto. 5. v. 19. 20: Angelus Domini Apostolos è carcere educit, & in templo porro docere jubet. Item Angelus Petrum ex carcere liberat, ne interficiatur ab Herode Agrippa, Acto. 12. v. 7. Et Acto. 27. v. 23. Angelus Paulo naufragium & liberationem praedicit. V. Pios auditores ubique locorum defendunt, conatibus Diaboli, pseudo-Prophetarum, & omnium Ecclesiae hostium sese fortiter opponunt. Psal. 34. v. 6, 7. Psal. 91. v. 11. Gen. 32. v. 2. 2. Reg. 6. v. 17. Hebr. 1. v. 14. Num. 22. v. 32. Epist. Jud. v. 9. Apoc. 12, ubi Michaël & Angeli eius præliantur cum Dracone, Heb. 1. v. 14. Acto. 12. v. 23. ubi Angelus Domini Herodem Agrippam Ecclesiae persecutorem interficit. Imò post mortem quoq; piorum animas in vitam æternam deportant Luc. 16. v. 22.

46. In statu Politico. I. Diabolis resistunt, Dan. 10. 2. In statu Politico.



v. 13. 20. II. Pacem & tranquillitatem publicam tuerunt, Zach. 1. v. 10. III. Pro piis acriter pugnant, Jos. 5. v. 14. Es. 37. v. 36. 2. Maccab. 10. v. 29. 2. Mac. 11. v. 8. IV. Tyrannos & hostes puniunt, & è medio tollunt, Act. 12. v. 7. & 23. 2. Reg. 19. v. 35. 2. Paral. 32. v. 21.

3. In statu  
OEcono-  
mico.

47. In statu OEconomico: I. Procurant nuptias Gen. 24. v. 7. Tob. 7. v. 8. II. Contra Asmodæum militant Tob. 8. v. 3. III. Piorum coniugum preces Deo offerunt fideliter, Tob. 12. v. 13. Apoc. 8. v. 3. IV. Illorum opes custodiunt & quasi vallo muniunt. Job. 1. v. 10. V. Infantum curam gerunt, Matth. 18. v. 10. VI. Familiam retinent in officio, Gen. 16. v. 9. VII. Famelicas cibum & potum porrigunt, Gen. 21. v. 17. 19. 1. Reg. 19. v. 6. VIII. Viatores comitantur, & incolumes reducunt ad suos, Gen. 28. v. 12. item 31. v. 56. Tob. 5. & seqq. Judith. 13. v. 20. IX. AEgrotis præstò sunt, Job. 5. v. 4. Tob. 12. v. 6. 7. X. In agone constitutos corroborant, Luc. 22. v. 42. XI. Morientium animas excipiunt & in sinum Abrahæ deferunt, Luc. 16. v. 22. XII. Olim etiam corpora piorū sono tubæ resuscitabunt & instar granorum in horrea Dei recondent. Matth. 13. v. 10. 1. Thess. 4. v. 16.

48. De nu-  
mero An-  
gelorum.

Hic porro quædam *τοπία* sunt notanda. Primum est, de numero Angelorum: Ut tempus creationis, ita numerus beatorum Angelorum definiri nequit: Magnum verò eundem esse & copiosum ex sacris literis constat, Gen. 32. v. 2. 2. Reg. 6. v. 17. Dan. 7. v. 11. Matth. 26. v. 53.

2. De ordi-  
nibus An-  
gelorum.

49. Alterum est de ordine Angelorum: Esse aliquos ordines Angelorum, negandum non est: quales verò sint, scriptura non revelat. Hinc rectè Augustinus ad Oros.

Oros. contra Priscillianist. c. 11. Tom. 6. fol. 651: *Esse sedes, dominationes, principatus, potestates in cœlestibus apparatibus, firmissimè credo, & differre inter se aliquid indubitata fide teneo: sed, quid inter se differant, nescio.* Item Ench. ad Laurent. cap. 58. Tom. 3. fol. 172. *Quid inter se distent quatuor illa vocabula, quibus universam ipsam cœlestem societatem videtur Apostolus esse comple-xus, dicendo, sive sedes, sive dominationes, sive principa-tus, sive potestates; dicant, qui possunt, si tamen possunt probare, quod dicunt: ego me ista ignorare confiteor.*

§0. Ad ordines igitur novem constituendos ex sen-tentiâ cuiusdam Dionysii arrepta est occasio ex hisce locis: *Ef. 6. v. 1. 6. &c. Dan. 10. v. 13. Rom. 8. v. 38. Ephes. 1. v. 21. item 3. v. 10. Coloss. 1. v. 16. i. Thess. 4. v. 16. Iudæ v. 9. &c:* In quibus fit mentio Angelorum, Archangelo-rum, Principatum, Potestatum, Virtutum, Domi-nationum, Seraphim, Cherubim & Thronorum. *Vi-deatur Magister Sententiarum lib. 2. dist. 9. Athanasius quoq; in sententiam hanc inclinare videtur Tom. 4. oper. q. 4.*

§1. Tertium est, de cultû Angelorum: Angeli san-  
cti sunt honorandi, & sanctis nostris operibus exhibila-  
randi, non tamen colendi ut D E u s.

§2. Velle enim D E u m, ut revereamur Angelos san-  
ctos graviter probat Paulus 1. *Timoth. 5. v. 21. Obtestor in*  
*conspictu Dei & Domini nostri Jesu Christi, & electorum*  
*Angelorum, ut hæc serves absq; præcipitatione judicij, nihil*  
*faciens juxta propensionem animæ. Et C H R I S T U S*  
*Matth. 18. dehortans à scandalis, quibus offendantur*  
*parvuli, Angelos horum appellat. Sicut etiam fugan-*  
*tur peccatis; ita pœnitentiâ & fructibus Pœnitentiâ*

C

dignis

dignis exhilarantur & detinentur. Nam CHRISTUS inquit *Luc. 15. v. 7.* Angelos in cælis gaudere super uno peccatore agente pœnitentiam. Et *Psal. 34. v. 8.* dicitur: *An-*  
*gelus Domini castra metatur circa timentes Deum. Hebr.*  
*11. vers. 14.* Angeli dicuntur ministri hæredum salutis.  
Et Bernhardus Serm. 12. in *Psal. 91.* fol. 546. eleganti παραπομπαῖς monet: *In quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe: Tunc audeas illo presente, quod me presente non auderes.*

§3. Recusant verò divinum honorem; I. qui anolunt sibi sacrificari, sed Iehovæ holocaustum offerendum esse monent, *Judic. 13. v. 16.* II. Quia adorationis cultum ut idololatricum aversantur. *Apoc. 19. v. 10. item c. 22. v. 9.* III. Quia solus Deus est adorandus, & ipsi soli religiosè serviendum, *Matth. 4. v. 10.* Atq; hactenus de Angelis Bonis.

*Angelorum malorum* §4. *Angeli mali* considerantur etiam vel quoad nomina, vel quoad definitionem sive naturam ipsam.

*Nomina.* §5. Nomina, quæ illis in sacris attribuuntur, vel omnibus sunt communia, vel quorundam propria. Omnia verò illis sunt imposita, aut à naturâ, quâ conditi sunt, ut est nomen *Spiritus*: aut à Comparatis qualitatibus, quibus sunt prædicti; ut cum vocantur *Spiritus immundi*, aut ab effectis, quæ præstant, ut nomen *Diaboli*, quia calumniatores sunt: aut à figuris & formis, quibus aliquando apparent, ut nomen *Pilosí apud Esai. 13. v. 21*: item *Serpentis*.

Tredecim. §6. In Veteri Test. tredecim inveniuntur nomina. in Veteri I. *Serpens*, Gen. 3. II. *Hircus*, Levit. 17. v. 7: Ethnici Testam. vocarunt *Satyros*. III. *Mammosi* vel bestiæ *mammosæ*, Deut.

Deut. 32. v. 17. IV. Satan sive adversarius. 1. Reg. 5.  
Zach. 3. V. Simpliciter Spiritus, 1. Reg. 22. v. 22. VI.  
Spiritus malus, 1. Sam. 18. v. 10. VII. Spiritus mendacij  
as mendax, 1. Reg. 22. IIX. Spiritus immunditiae, Zach.  
13. v. 2. IX. Spiritus fornicationum, id est, idololatria-  
rum, Hos. 4. v. 12. X. Spiritus perversitatum, Esai. 19.  
v. 14. XI. Simpliciter Pilosi, Esai. 13. v. 21. Interpretes  
vertunt Hebræum שְׁאֵרִים Dæmones, sunt Poëtarum  
Satyri. XII. Asmodæus, quod est proprium nomen  
Tob. 8. malus Dæmon.

57. In Nov. Test. inveniuntur nomina viginti duo. In Novo  
I. dicuntur simpliciter πνεύματα, Spiritus, Matth. 18. Test. vi-  
II. πνεύματα ἀκάθαρτα, Spiritus immundi. III. Δαιμόνοις viginti due.  
passim, à scientiâ & sapientiâ, in quâ sunt creati. IV.  
περάζων, Tentator, Matth. 4. V. Satanás, quæ vox He-  
bræa est, ibid. VI. Beelzebub, sæpius apud Evangelisti-  
tas, Princeps Dæmoniorum, ita vocatur à CHRISTO.  
Dominus ac Princeps muscarum ab idolo Acceronita-  
rum sic vocatur. VII. Πονηρὸς κατ' ἔχοχην, malus,  
Matth. 13. & alibi. IIX. ἔχθρος, inimicus. IX. Fortis  
armatus, Matth. 12. X. Pater impiorum, Ioh. 8. Vos ex  
Patre Diabolo estis. XI. Princeps mundi, Iohan. 12.  
XII. Angelus simpliciter, 1. Cor. 6. 2. Petr. 2. & Iudæ  
Epistolâ. XIII. Spiritus Pythonis, Actor. 16. XIV. Dia-  
bolus sæpiissime. Est enim calumniator. XV. Draco,  
Apoc. 12. & serpens antiquus. XVI. Deus hujus seculi.  
2. Cor. 4. XVII. Principes & potestates aeris, Eph. 6.  
XIX. Mundi huius rectores, Eph. 6. XIX. Homici-  
da, Ioh. 8. XX. Leo rugiens, 1. Pet. 5. XXI. Belial, id  
est, irregularis sine jugo & disciplinâ, 2. Cor. 6.

58. Natura malorum Angelorum explicatur, partim definitione, partim operibus sive studiis.

Definitio 59. Definitionem talem damus: Angelus malus si Angelorum vel Diabolus est Spiritus a Deo creatus, qui a suâ illâ malorum nativâ & originali bonitate suâ se sponte avertit, Deoque summo bono rebellis factus reluctatur, unde in malum prolapsus propriâ culpâ perit, & omnibus se bonis spoliat & exuit.

Definitio 60. Genus huius Definitionis est *Spiritus a Deo creatus*, in quo convenienter cum Angelis bonis. Creati enim sunt a Deo, verum non mali, sed boni. Hinc recte August. lib. de verâ Relig. cap. 13. Tom. 1. fol. 710: *Diabolus, inquit, in quantum Angelus, non est malus, sed in quantum perversus propriâ voluntate.* Et de naturâ boni contra Manichæos Tom. 6. fol. 559. *Mali Angeli, non a Deo mali sunt conditi, sed peccando facti sunt mali.*

Differentia 61. Differentia desumitur a Proprio & a consequente.

I. a Proprio.

62. Proprium est, quod a nativâ sua bonitate sponte se se averterint, & ita Deo rebellis facti sint. Hinc Jobi 4. v. 18. scriptum legitur: *Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem.* Vbi accurate notandum, quod Deus in Angelis REPERIAT pravitatem: ipse vero non faciat. Ipsi igitur libero arbitrij sui motu abusi, originem veritatis, justitiae & sanctitatis reliquerunt, stationemq; sibi designatam deseruerunt.

63. Hinc CHRISTUS Diabolum describens apud Job. c. 8. v. 44. ait: *Ille fuit homicida a principio, & in veritate*

Veritate non persistit: nam non est veritas in eo. Quoties-  
cung, loquitur mendacium, ex se loquitur, quia mendax  
est, & homicidij Pater.

64. Vbi manifestè ostendit C H R I S T U S, in veritate  
primò illum fuisse conditum: verùm in eâ non persisti-  
tisse, sed ad mendacia se convertisse, adeò ut veritas  
nunc in eo non sit.

65. Essentiæ igitur Angelicæ principium creans Ffssentia  
arguitur omnium rerum Creator D e u s: mendacii Angelicæ  
verò, & sic peccati ipse Angelus confirmatur parens ac in Diaboli  
origo, non D e u s.

66. Quomodo etiam id à D e o erit, cuius natura mendacij  
tota D e o est opposita? D e u s vita est & veritas: at non item  
Diabolus à C H R I S T O hîc dicitur homicidii autor &  
mendacii, adeò ut cum mendacium loquitur, de suo  
proprio loquatur: Ergo non de eo, quod est D e i, vel  
quod de D e o habet aut habuit unquam: atque ita  
suum illud opponit D e o, eiique contrarius ex suo  
est.

67. De primo Diaboli peccato hîc quæri solet. Ve- Primum  
rùm id expressè in sacris literis non definitur. Putant Diaboli  
verò Theologi, id superbiam fuisse, quâ supra Filium peccatum.  
D e i se se extollere, & sic inobedientiâ suâ subiectio-  
nem excutere voluerit.

76. Hanc suam sententiam colligunt ex ipsâ pro-  
toplastorum seductione, quibus ex suo ingenio præ-  
stantissimorum donorum conceptum, imò ipsius divi-  
nitatis assequendæ appetitum instillat, Gen. 3. v. 5. &

*Matth. 4. v. 9, tantæ est impudentiæ, ut ab ipso Filio  
Dei postulet adorari.*

*Plures  
Diaboli  
simul sunt  
lapsi.*

69. Cæterùm non etiam nobis h̄c imaginemur, unum duntaxat Angelum lapsum esse. Cūm enim Diabolus unus inter primarios esset, multos habuit in eodem peccato consentientes. Verùm ut bonorum, ita etiam malorum numerus ex Scripturâ non defini-ri potest. *Marc. 5. v. 9.* C H R I S T O responderet immun-dus Spiritus: *Legio mibi nomen est: quia multi sumus.*

70. Porrò consequens in Definitione expressum sequente. est, quòd propriâ culpâ pereat, & omnibus se bonis spoliet & exuat. Quandoquidem sic à D e o est reie-ctus, ut nunquam sit recuperandus, aut per mediato-rem quandam redimendus ab irâ D e i, sed æternis, ut est in Epistola *Jude. v. 6.* tenebrarum catenis vincitus ad judicium magni illius diei reservetur.

71. Non enim C H R I S T U s assumsit Angelos ut eos redimeret, sed semen Abraliæ, ut est *ad Hebr. 2. v. 16.*

72. Pessimus autem fit propter homicidia & men-dacia Diabolus, arguitur tamen eo ipso, quo pro-ppter illa pessimus dicitur, non essentiâ suâ peccatum aut malitia, in primis cum & Spiritus maneat & sit, qui à rogiâ non est, sed à rogiâ subiectum, ut est, *i. Reg. 16. v. 14. Luc. 11. v. 10.*

*Dona Dia-  
boli.*

73. Dona quod attinet, quæ habuit certè excel-lentissima, utpote sapientiam, intellectum, & robur ingens, retinet quidem positiva, sed ad malitiam iis planè

planè abutitur, adeò ut in tenebras immersus, totus fallax & fraudulentus, malignus & nequam, deceptor, falsarius, calumniator, perversor, & omnis pravitatis nequitiaq; apex nuncupetur.

74. Hinc igitur facile secundum, quod hic considerandum sumsimus, colligitur, nempe, quæ Diabolorum studiæ & opera: nempe diriguntur illa partim adversus Deum, partim adversus homines.

75. Adversus Deum quidem. Nam ut Angeli boni laudant Deum: ita Diabolus Deum calumniatur, sus Deum cum mendacii & invidiæ accusans, Gen. 3. v. 4.

76. Opera & studia, quæ adversus homines exercet, sunt vel generalia, vel specialia.

77. Generalia: Quod sit adversarius & inimicus: totius generis humani, semperq; Deo & piis adver- setur, 1. Petr. 5. vers. 8. Matth. 13. v. 39. Genes. 3. vers. 15. Apocal. 12. v. 21. Quod sit Calumniator, mendax, & homicida. Job. 8. v. 44. Gen. 3. v. 4. Apocal. 12. v. 13. Sap. 2. v. 24. Luc. 10. v. 30.

78. Specialia diriguntur in specie vel adversus Ecclesiam, vel adversus Politiam, vel Oeconomiam.

79. In Ecclesiâ tyrannidem suam exerceat, I resistendo divinæ veritatis Doctoribus; Zachar. 3. vers. 1. 1. Thess. 2. v. 18. II. Semen verbi auditoribus eripiendo, Matth. 13. v. 19. Luc. 8. v. 12, & conversionem pœnitentiām q; quo fieri potest modo, impediendo, & impiorum sceleribus exultando, 2. Tim. 2. v. 26. Job. 8. v. 44.

Eph.

*Eph. 2. v. 2.* III. Zizania hærefœn & errorum spargendo. *Matth. 13. v. 25.* i. *Reg. 22. v. 22.* 2. *Theß. 2. v. 9.* I V. Persecutiones horrendas excitando, & quovis modo piis insidias struendo, *Job. 8. v. 44.* *Job. 1. & 2. cap. 1.* *Pet. 5. v. 8.* *Apoc. 2. v. 10.*

**2. Adversus** 80. In Politiâ grassatur. I. Reges & Principes ad superbiā, tyrannidem, homicidia, bella & lanienas mutuas instigando, *i. Paral. 22. v. 1.* *Job. 41. v. 34.* *i. Sam. 18. v. 10.* II. Regum & subditorum animos contra se invicem exulcerando, *Judic. 9. v. 6.* & 23.

**3. Adversus** 81. In OEconomiâ tumultuuntur: I. Doctrinam de coniugio summopere impugnando, *i. Timoth. 4. v. 1. am.* II. Sponsorum vota impediendo, *Tob. 3. v. 8. item. 12. v. 14.* III. Nuptias funestas reddendo, *i. Maccab. 9. vers. 41.* IV. Novos coniuges variis ærumnis affligendo, *Job. 1. v. 12.* *i. Corinth. 7. v. 28.* V. Ad omnis generis vitia, nempe ad incredulitatem, *Ephes. 2. v. 2.* rixas *Tob. 2. v. 22.* libidines, *i. Cor. 7. v. 5.* & inexplebilēm avaritiam instigando & impellendo, *Actor. 5. v. 3.* *i. Timoth. 6. vers. 9.* *2. Corinth. 2. vers. 11.* Tandem ubi vis locorum omnia nefariè miscendo ac turbando, *Job. 41. vers. 22.* Unde etiam nomen invenit *Apocal. 9. vers. 11.*

**πορίμα-** 82. Hinc sequentia colliguntur πορίμαλα: Primum, **ta.** Potentia Diaboli magna est, nec carnali securitate conte- **I. De Po-** mhenda.

**tentiâ Dia-** boli. 83. Non enim sunt inania terriculamenta, quæ in historiâ Iobi, Saulis, Achab, Iudæ & similium de Diaboli furoribus, nec non in Evangelistis de obsessis, à

CHRIS.

**C**hristo liberatis, commemorantur. Imò Christus ipse Diabolum appellat fortē armatum *Luc. 11.* v. 21. Principem huius mundi, *Joh. 12. v. 31.* & *14. v. 30.* Et Paulus 2. *Corinth. 4.* eum vocat Deum huius seculi, item ad *Eph. 2. v. 2.* Principem, cuius potestas est aëris & Spiritus. Et *Eph. 6.* inquit: Non est nobis lucta adversus carnem & sanguinem, sed adversus dæxas, imperias, ἀρχας, potestates, κοσμοκράτορας, mundi rectores, & dominos tenebrarum hujus seculi, adversus spirituales astutias in cœlestibus, 2. *Timoth. 2.* dicitur Diabolus tenere homines laqueis captivos. 1. *Pet. 5.* Leoni rugienti & famelico comparatur.

§4. Secundum τέρπισμα est: Diabolus quidem potentiam 3. De Potiam habet, aequalē tamen potentia divina non habet: tentia ideoq; non creator est, cum Angelus creatus sit, *Ez. 45.* Diaboli, v. 7. Ego Iehova faciens omnia. quod Deo non fit æ-

§5. Tertium: Ideoq; sine permisso Dei ipsi non licet, quod libet, exequi. 1. *Reg. 22. v. 22.* *Matt. 8. v. 32.* 3 Sine permisso Dei nihil potest. *Luc. 22. v. 31.* *Marc. 1, 25.*

§6. Quartum: Arma Christianorum, quibus Satan pellitur & vincitur, sunt potissimum tria: 1. Verbum Dei. 2. Fides in Christum. 3. Assiduae preces mis Christianorum ad Deum.

§7. Nam licet adhuc plura ad παντοπλία militis Christiani possint referri: Verum nihil est omnium, quod hisce non comprehendatur *Eph. 6. v. 13.* *Joh. 15. v. 12.* 1. *Joh. 3. v. 24.* & 4. v. 7. & 5. v. 1. *Hebr. 2. v. 1.* *Eph. 6. v. 14.* *Matth. 4. v. 1.* *Pet. 5. v. 9.*

Errores  
hic vitan-  
di.

1.

88. *Tandem* errores h̄ic fugiendi sunt. *Primō* Sadū-  
cōrum furor, qui nec bonos nec malos Angelos cre-  
dunt. *Actōr. 23. v.8.*

2.

89. *Deinde*, Anabaptistarum deliria, qui nugantur,  
actiones tantūm D̄ ei, delicta punientes, in alorum no-  
mine venire, & bona renumerantes, bonorum nomi-  
ne appellari.

3.

90. *Tertiō*, Epicureorum securitas, qui neq; Deum,  
neq; Angelos reverentur.

4.

91. *Quartō*, Angelicorum error, qui inde nati e-  
rant ad cultum Angelorum, ut loquitur *Augustinus de  
heresis ad quod vult Deum cap:39.* Quas *Epiphan. h̄eres.  
60. fol. 240.* jam omnino defecisse testatur.

5.

92. *Quintō*, Pontificiorum supersticio, qui Ange-  
los bonos adorando esse judicant, atq; ita Angelicos  
illos priscos imitantur, contra manifestum interdi-  
ctum, *Apoc. 19. & 22.*


6.

93. *Sextō*. Originis temeritas, qui ē quibusdam  
Scripturæ locis, nempe, *Psal. 103. v.9. Ef. 57. v.14. Je-  
rem. 3. v.7.* male intellectis statuit, Diabolos quoq;  
tandem salvatum iri: cūm tamen *Epistola Judæ v.6.*  
~~vinculis æternis eos constrictos~~, nec non **C H R I S T U S**  
ipse ignem æternum illis paratum esse affirmet, *Matth.  
25. v. 41.* & loca ista tantūm ad homines, & quidem so-  
los eredentes accommodata sint. Nam qui credit in  
Filiū, habebit vitam ætetnam; qui autem incre-  
dulus est filio, non videbit vitam, sed ira D̄ ei manet  
super

supericum, Iohann. 3. v. 27. Videatur Origenes lib. i. ad  
deuteronomium cap. 6. Tom. 4. fol. 120. Epiphanius ad Iohannem,  
Episcopum Solymitanum, interprete Hieronymo, Tom.  
3. fol. 72. Et adversus vigilantium.  
Tom. 3. fol. 142.

F I N I S.





99 A 6935

ULB Halle  
005 360 463

3



T4 → 0c



# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

Black

